

Semipelagianorum. Id porro ut ostenderet, antedicta refumpit: nimirum Molinam de assensu mere opinativo fidei humanæ intelligendum esse; qui non aliam ex facultate naturæ firmitatem habeat, quam quæ in hæreticis comprobatur. Cui quidem responso, multis licet per Secretarium adductis Molinæ testimoniis confutato, cum tenacius infisteret, commotus est Pontifex: „ Miror, inquit, quod dixeris Molinam solum docuisse, posse esse in homine ex naturæ facultate firmitatem, seu pertinaciam, qualis est in hæreticis. Si Molina expresse asserit, posse hominem ex solis naturæ viribus assentiri omnibus Fidei mysteriis, tanquam revelatis, & quia revelata sunt a Deo; ( quæ est ratio formalis sub qua Christianus credit ) quomodo dicis, illum intellexisse de pertinacia hæreticorum? Quid contenditis? Quid molimini? An non videtis, huiusmodi novitatibus sæpe fuisse Ecclesiam perturbatam.

Reponente autem Valentia, id non novam, sed antiquam D. Thomæ doctrinam esse: qui in Quaestionibus disputatis docet, præter finem supernaturalem reperiri in aliquibus naturalium firmitatem, & adhesionem in asserendo; addidit Lemofius: *Legimus milites articulum istum, & nihil in eo continetur, quod possit favore Molinæ. Non enim ait S. Thomas, quod possit homo assentiri mysteriis Fidei, tanquam revelatis a Deo, & quia revelata sunt: in hoc consistit cardo totius disputationis; hoc debuisse probare ex S. Augustino, vel ex S. Thoma.* Fuit hic disputationis finis. Disputantibus autem egressis, de ferendo iudicio deliberatum est.

*Judicium Congregationis de secunda Propositione Molinæ.*

„ Dimissis utrique Patribus, Prædicatoribus, & Societatis, Patres Consultores tam de ipsa Propositione Molinæ in se, quam in sensu ab Auctore intento, diffuso sermone differentes, illam cum doctrina S. Augustini diligenter conulerunt. Post longam autem, & exactam consultationem, censuerunt omnes, secundam Molinæ Propositionem, quæ est de actu Fidei circa mysteria Divina ex sola naturæ facultate, esse omnino contrariam doctrinæ, a S. Augustino contra Pelagianos, & Semipelagianos tradita. (1) Hinc tamen communi iudicio non acquieverunt D. Aquilensis, qui dixit, prædictam Propositionem esse secundam doctrinam S. Augustini; & P. Procurator Ordinis S. Augustini, qui dixit, secundam istam Propositionem esse disputabilem; in modo tamen loquendi Molinam dissentire a S. Augustino; & P. Regens Carmelitarum, qui censuit, Molinam in hac propositione non dissentire a S. Augustino. Hic ergo absoluta est præsens Actio prope horam 18., abieruntque omnes, accepta Benedictione a S. D. N. & Beatissimo Patre, Clemente Papa VIII.

Die 22. Julii 1602. coram S. D. N. celebrata fuit Congregatio quarta. De tertia Molinæ Propositione disputatum est: Videlicet: *Cum quis edoctus fuerit, supernaturalem assensum ad salutem esse necessarium; viribus naturalibus potest optare ita credere, atque etiam conari, ex dono, & auxilio supernaturali assentiri. Denique potest petere, ut auxi-*

*lium illud sibi doneatur, & ad illud recipiendum satagere se disponere.* Hæc omnia supponit Molina in sua CONCORDIA, disp. 9. Expenditur etiam in disp. 42. §. Quo ad primum; & in disp. 43. §. Ex dictis patet.

Primus ordine dixit Gregorius de Valentia: duo probanda sibi sumpsit: 1. Propositionem hanc non ita evidentem esse Molina colligi. 2. Ab errore Pelagianorum omnino distare. Adversus utrumque pugnavit Lemos. Postquam autem multis ostendisset argumentis, Pelagianos, & Semipelagianos, eosdem conatus liberi arbitrii viribus adscripsisse; aliusque respondit, eos hæreticos de actibus, & conatibus piis locutos fuisse; fecus vero Molinam: subiunxit Pontifex, *Mirum est, quod Sanctus Augustinus nusquam usus fuerit ista vestra distinctione?*

Eo tandem venit disputatio, ut contenderent Molinæ Vindices, hominem, de necessitate assensus edoctum, posse optare viribus naturæ, istum actum Fidei supernaturalis elicere materialiter, non formaliter, ut supernaturalis est. Contra quod istud argumentum sapius retorfit Lemofius: Homo naturaliter secundum Molinam potest optare ita credere, sicut edoctus est, assensum esse necessarium ad salutem: sed necessarium est ad salutem, credere non materialiter tantum, sed etiam supernaturaliter, sub ratione formali, hoc est, ut assensus supernaturalis est. Ergo secundum Molinam potest ex solis viribus naturæ elicere actum supernaturalem, ut oportet ad salutem.

Demum ab instituto aliquantulum digressa oratione, bis, ac etiam tertio iussit Clemens VIII. Molinæ Vindices, indicare, ubinam Augustinus diceret, posse hominem naturaliter optare credere supernaturaliter, & posse desiderare auxilium gratiæ? Eam provinciam aggressus Valentia, probandum sibi sumpsit, Augustinum, non nisi ad opera pia, gratiæ necessitatem contra Semipelagianos propugnasse; Molinam vero de iis in isto casu minime locutum fuisse. Id ut audivit Pontifex, *Peto, inquit, a te, an optare credere supernaturaliter, an desiderare auxilium gratiæ, & illud petere, & ad illud recipiendum se disponere, que Molina dicit posse præstari per liberum arbitrium, sine pie actiones? Respondit ille, Secundum Augustinum non sunt pie. Ad que Beatissimus Pater: An non sunt actus pii, actus ordinati ad finem bonum, & boni ex omnibus circumstantiis debitis, quique nullam habent circumstantiam vitiantem, & quos Gratia Divina infallibiliter consequitur? Concessit ille, pios esse pietate morali, non supernaturali, de qua sola ( ut aiebat ) contra Semipelagianos disputaverat Augustinus.*

Responsum hoc Lemofius impetivit, eo nixus fundamento: quod & ipsimet Pelagiani, non fecus ac Molina, eos adus per sese steriles faterentur, nec inter opera curationis annumerari velent, nisi per Divinam Gratiam excitarentur; & tamen ob id a Patribus damnati sint, tanquam qui initium salutis in nobis ponerent, piisque re ipsa actiones ( quas talis voce fateri, erubescerent ) naturæ viribus adscriberent. Eo argumento implicitus Molinæ Vindex, nescio quo flante spiritu, propositionem istam sponte confessus est: *Semipelagiani constituebant, posse hominem ex se solo habere fidem piam Christianam, & supernaturalem:*

*lein: & de hoc errore convicti sunt, quia asserbant, posse hominem ex sola facultate naturæ assentiri revelatis, ut revelatis. Verum cum subijuncta minori ad Molinam descendere vellet Lemofius, ut parem illius, ac Semipelagianorum causam ostenderet; tot strophis, tot diverticulis præpeditus est a Valentia, ut syllogismum effornare nequiverit, donec ea agendi ratione exacerbati Censores palam exclamaverint: *Ubinam gentium audium est, quod, concessa Majori propositione Syllogismi, non sit propendenda Minor? In nulla disputatione hoc unquam permixtum est.* Quibus ille belle reposuit: *Ubi agitur de condemnanda aliqua doctrina, non oportet, istis legibus adstringi.* (1) Ad institutum nihilominus tandem veniens Thomas de Lemos ostendit, Molinam, Christianam, ac piam fidem naturæ viribus tribuisse æquo jure, ac Semipelagianos; cum hominem veritatis relevatis, ut revelate sunt, assentiri naturaliter posse, defendere. Nodum solvere tentavit Valentia iis interpretationibus, quibus superiori disputatione Molinam liberare studuerat: illum scilicet de assensu opinativo, ac fidei humanæ intelligendum, significans. At præcluso jam pridem eo suffragio, actum reagere religio fuit. Idcirco paulo post disputationi finis datus est, dimissis utrique Disputantibus.*

*Judicium Congregationis de tertia Propositione.*

(2) „ Expensa hac tertia Propositione Molinæ a Patribus Consultoribus, post diligentem veritatis indagacionem, DD. Episcopi primum, deinde Patres Theologi, iudicium ferentes, censuerunt unanimi consensu, utramque propositionem adversari expresse doctrinæ S. Augustini, & continere errorem Semipelagianorum. Ab hac tamen communi omnium Patrum Consultorum sententia deviarunt D. Episcopus Aquilensis, qui dicebat, illam esse probabilem, & non esse contra doctrinam S. Augustini; Procurator Ordinis S. Augustini, qui censuit, illam sententiam Molinæ in modo loquendi esse contrariam S. Augustino, posse tamen reduci ad sensum Catholicum; & Regens Carmelitarum, qui dixit, sententiam Molinæ, præcindendo ab ordine horum actuum, esse communem omnium Scholasticorum: & non reperiri quidem apud S. Augustinum; illi tamen non adversari. Et absoluta est præsens Actio hora 17.

CAPUT XIII.

*Quid quinta, & sexta Congregatione disputatum, & definitum.*

Die 23. Julii 1602. habita est Congregatio quinta coram Clemente VIII. Disputatum est de quarta Molinæ Propositione: nempe: *Et modo Deus sua sapientia leges, quibus vitam spiritualem, atque ejus incrementum conferret, accommodavit, ut sicut per Gratiam, hominis naturam ex se liberam perficeret, ita etiam & ante receptionem Gratia, & ipsa Gratia receptione, & postea in augmento illius, suum locum libero relinquere arbitrio: quatenus ita ipse esset Auctor omnium bonorum, omniaque ei accepta referrentur, ut nihilominus*

*libero arbitrio propria industria, & laus servaretur.* Disp. 9. §. Ut qua.

Ex ipso Congregationis exordio cepit Sanctissimus Pontifex nonnulla contra Valentiam superiori Disputationi adicere? ut ostenderet, Molinam fidem revera Christianam naturæ viribus tribuisse; tamen, Pelagianorum more, eam tam honesto vocabulo insignire, erubuerit. Ostendit enim, illum fidem, per dilectionem operantem, nativis viribus adscripsisse; qua nempe Deum bonis omnibus anteponat, ac pro illo mortem optere desideret; qua res potissimum dilectionis argumentum esset, dicente Christo: (3) *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Vix dici queat, quantum hoc argumentum torserit Molinæ Vindices. Respondit Valentia, Molinam dilectionem duntaxat naturalem naturæ viribus dedisse. Societatis Præpositus, Episcopus Aquilanus, & Antonius Bovius, eam Fidei Christianæ definitionem ( quod nempe illa sit, quæ per dilectionem operatur ) ut impropiam, fugillarunt. Quos cum ex Apostoli doctrina suffragitasset Thomas de Lemos; ad quartam Molinæ Propositionem, jubente Pontifice, ventum est.

Ejus itaque defensionem arripuit Gregorius de Valentia, multaque dixit ad propriam liberi arbitrii laudem, & industriam propugnandam; alias enim excusum iri humanam libertatem, significavit. Ambiguum Molinæ sensum variis, multiplicibusque circulationibus implicavit: duo illa promissæ, ac studiose confundens, Libertatem arbitrii, ejusdemque naturam industriam, laudemque, nativis conatibus debitam.

Molinianæ Propositionis æquivocationem detexit Lemofius, illamque in tres partes distribuens, Pelagianum sensum aperuit, quo propriam libero arbitrio industriam, & laudem servatam volebat ante gratiæ receptionem, in gratiæ receptione, ac tandem post ejusdem gratiæ receptionem. Primo quidem ante gratiæ receptionem, inquit, propriam industriam, & laudem libero arbitrio Molina servari contendit; quatenus libero arbitrium possit quodcumque bonum opus, fini naturali accommodatum, elicere, perinde ac si in puris naturalibus conditum esset, postique etiam ex sola naturæ facultate assentiri omnibus Fidei mysteriis, tanquam revelatis a Deo, & quia revelata sunt, assensu certo, & firmo, & cui falsum subesse non possit. In receptione gratiæ propriam libero arbitrio industriam, & laudem servari vult; quatenus existimat, liberum arbitrium, a Deo tantum excitatum, seipsum movere, & applicare per actum propriæ facultatis ad receptionem gratiæ. Post receptionem denique gratiæ, servari vult liberi arbitrii laudem, atque industriam; quatenus putat, in omnibus operibus meritis, & in perseverantia in bono usque in finem, liberum arbitrium, a Deo solo excitatum, in se habere, ut & principium motus, & operis exhibitio, & perseverantia in bono sit ex facultate naturæ, cui Deus tantum dederit per gratiam prævenientem, seu sufficientem, posse bene operari. Tria ista capita variis Molinæ testimoniis confirmavit Vir eruditus; tamen primum superioribus disputationibus satis eliquatum esset, ac de illo etiam a Censoribus judicatum.

Ad hæc pauca reposuit de Valentia. Moleste in

(1) Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Ex contentis in Propositione, & ex adjunctis, aliisque ex eodem libro consideratis, convincitur, Molinam docuisse ex propria sententia, posse elici ab homine per solas naturæ vires actum vere Fidei Christianæ, quantum ad substantiam, & perfectionem assensus, excepta sola supernaturalitate, quæ illi actui accedit ex auxilio particulari, & inspiratione Spiritus S., vel ex concursu habitus Augustini doctrinam, a Sede Apostolica approbatam, consistat ex omnibus pene ejus libris, & Epistolis, adversus Pelagianos, & eorum reliquias editis.

(1) In aliis Actis observatur, soluta disputatione, Generalem Societatis, non mediocriter commotum, Valentiam, multis audientibus dixisse, *Destruisti Societatem, destruxisti Societatem, concessione illius Majoris.*

(2) Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Ex locis citatis apparet, Molinam formaliter docuisse, posse hominem suis solis viribus naturalibus optare supernaturaliter credere, & auxilium Gratia Divinæ petere, atque etiam ad illud recipiendum se disponere. Hanc autem sententiam esse contra expressam doctrinam S. Augustini, & continere errorem Semipelagianorum, ab Ecclesia damnatum in Concilio Araucano II., conlucit ex Can. 2. & ex innumeris pene locis S. Augustini. (3) Joan. 15. 13.

in primis habuit, tot illas Molinæ sententias in medium adductas, ut unius quartæ Præpositionis sensus aperiretur. Secundo Molinæ propositiones emolliuit; ne adeo virtuti gratiæ detractum videretur. Demum liberi arbitrii partes ex doctrina Concilii Tridentini servandas, probavit.

Duo priora nova oratione consultavit Lemofius. Ad tertium paucis respondit Prædicatorum Generalis. *Concedimus nos*, inquit, *laudem deberi libero arbitrio*; & *in hoc omnes convenimus: sed longe dissentimus ab invicem in assignanda radice hujus laudis. Nos enim ideo dicimus, deberi laudem libero arbitrio, quia excitatum, & adjutum a Deo antecedenter, libere consentit, & operatur ex virtute Divinæ Gratiæ: Molina vero, & ejus Defensores ideo tribuunt laudem libero arbitrio, quia excitatum, & invitatum tantum a Deo, consentium præbet ex facultate, & vigore nature: quod est Pelagianum.*

Disputationi finem dedit Summus Pontifex hora 14., utrique Patribus dimissis.

Judicium Congregationis de quarta Propositione.

(1) Cum tam DD. Episcopi, quam ceteri Patres plene, cumulateque de quarta Propositione Molinæ differuissent; & S. Augustini sententias, ad præsentem Controversiam spectantes, æque expendissent; Molinæ etiam rationes, quibus opinionem suam confirmare conatus est, perponderassent: tandem convenerunt omnes, prædictam Propositionem quartam adversari doctrinæ S. Augustini, tradite contra Pelagianos, & Semipelagianos. Ab illorum tamen sententia deviarunt D. Episcopus Aquilensis, & P. Regens Collegii Carmelitarum: qui dixerunt propositionem illam Molinæ non esse contrariam S. Augustino, quamvis non expresse reperitur apud illum. P. Procurator vero S. Augustini censuit, hanc Propositionem esse omnino rejiciendam, quia in modo loquendi sapit errorem Pelagianorum; quamvis, adhibitis explanationibus, possit ad verum sensum reduci. Quibus constitutis, absoluta fuit præsens Actio hora 17.

Die 6. mensis Augusti 1602. habita est Congregatio sexta, cui (quemadmodum & sequentibus) una secum interesse voluit Clemens VIII. alios Eminentissimos Cardinales, Inquisitores Generales, Hieronymum Afcalanum, Dominicum Pinelium, Paulum Æmilium Sfondratum, Franciscum de Avila. Adum de quinta Molinæ Propositione; videlicet: *Negari non potest, complurium esse Scholasticorum sententiam, Liberum Arbitrium nostrum, cum solo concursu generali Dei, elicere posse non solum actum attritionis naturalem, id est, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito amplius non peccandi letaliter, sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi amplius letaliter includat.* Disp. 14. mem. 1. in principio, & §. Ratio vero.

(1) Ex Actis Secretarii: at in Compendio sic: Expena Molinæ doctrina, apparuit, hanc quartam illius Propositionem esse alienam a doctrina S. Augustini, & dignam gravi censura; quoniam, cum sit veluti compendium totius doctrinæ de Gratia Divina, quam tradidit in libro suæ Concordiæ, completitur tres errores Semipelagianorum, contra gratiam assertos, cui detractum moliebantur, quod libero arbitrio concederent. Docebant enim, hominem, absque Dei adjutorio, ex sola facultate nature posse credere divina mysteria, desiderare, petere, & quærere Dei misericordiam: Et hoc est quod Molina dicit, ante receptionem gratiæ libero arbitrio propriam industriam, & laudem servari. Deinde asserbant, Gratiam Divinam dari desiderantibus, credentibus, petentibus; sed tamen gratiam istam comitem esse, non præviam. Quod etiam indicavit Molina, ubi ait, servari etiam propriam industriam, & laudem libero arbitrio in ipsa gratiæ receptione, ut expresse docuit pluribus in locis suæ Concordiæ. Ac tandem constituebant, impetrata jam gratia, et humana industria pendere, quod homo perseveraret usque in finem, vel ex humana negligentia oriri, ut a gratia cadat: Quod & Molina significavit, quando dixit, in augmento gratiæ servari quoque libero arbitrio propriam industriam, & laudem, ut postea docuit quest. 23. art. 4. disp. 1. memb. ult. §. Secundo Ex quo constat, Molinam non agnovisse, perseverantiam in gratia esse singulare Dei donum, quod electis suis misericorditer concedit. Eit denique præfata Molinæ Propositio absolute contraria doctrinæ S. Augustini, quippe qui quam læpissime clamat contra Pelagianos, & eorum reliquias, non posse hominem sine adjutorio Gratiæ Divinæ habere bonam voluntatem, non industriam, non laudem, non bonum meritum. Quid enim boni meriti habere possunt peccatores? Quam laudem, aut industriam ad bonum habebant homines, a Deo averti, & averti Deo, nisi liberentur per gratiam?

Deo acceptabilis; negare non poteris, esse donum Dei, & ex inspiratione, & adjutorio Dei elici; non autem ex solis viribus nature. Si non est fructuosa, neque Deo placet; bene colligebat Peter Lemos, quod Molina docuerit, ejusmodi contritionem esse insufficientem, contra decretum Concilii Tridentini. Dicente autem illo, eam contritionem, per sese fructuosam moraliter, conciliata vero gratia, fructuosam evadere ad salutem æternam; subjunxit Pontifex: *Isto modo etiam colere agros, plantare vineas, habere amicos, & alia hujusmodi opera, que S. Augustinus commemorat, sunt fructuosa. Sed hoc non est respondere ad interrogata. Quare igitur a te: An illa contritio, prout a Molina circumscriptur tam multis circumstantiis, sit fructuosa, pia, & Deo acceptabilis.*

Idem ad illa respondit Valentia; hoc unum adens, contritionem, a Concilio Tridentino memoratam, ideo Gratiæ viribus tribui, quia spem veniæ secum adjunctam habet, qualis certe non est illa, quam Molina defendit. Respondit etiam vestigio impugnavit Lemofius; spem veniæ a Molina pariter inter fructus contritionis, ab ipso descriptæ, recentiam ostendit ex fine paragraphi supra memorati. Qua de re conviclus Valentia, Molinam de spe morali, non Christiana locutum, subjunxit.

Inauditus figmentum impetiit Adversarius; ea maxime ratione, quod de spe, ex fide supernaturali orta, toto illo paragrapho disputasset Molina; ipsamque (quod pejus est) fidem supernaturalem naturæ viribus, perinde ac Semipelagianis, tribuisset: quemadmodum in quarta Congregatione a se demonstratum, & a Censoribus definitum fuerat.

Mirum, quantum ad illa verba exaudierint Valentia, & Societatis Generalis! Inquirere, undenam rem definitam sciret? An Congregationis Acta consulisset? Hoc fuit hic publice conclusum; inquit ille, & ideo me remitto ad Acta: ex illis constabit, concesserint hoc Valentia, an non. Alia subinde Molinæ loca in medium adduxit, (1) ut Molinam de vera contritione locutum ostenderet: eaque confutavit, que in ejus gratiam Defensores ipsius adduxerant. Quibus cum illi multa interrogando reposuissent, rursum reponere vellent, domum eorum edixit SS. Pontifex: *Quoniam jam multum temporis defluxit, & ut video, nihil de novo adducitis, sed ad eadem argumenta recurritis, sit hic hujus conversationis finis.* Atque ita disputatio, dimissa utraque parte, soluta est.

Judicium Congregationis de quinta Propositione.

(2) Dimissis utrique Patribus, post diligentem, & maturam veritatis inquisitionem, cum singuli de hac quinta Propositione Molinæ defuso sermone differuissent; censuerunt communititer omnes DD. Episcopi, & Patres Theologi, prædictam Propositionem, in sensu, & terminis traditam, & assertam a Molina, nullo modo posse deduci ex doctrina S. Augustini, sed potius illi omnino adversari, atque adeo tanquam Pelagianam esse profus rejiciendam. Ab isto tamen communi judicio deviarunt D. Episcopus Aquilensis, & P. Regens Collegii Carmelitarum, qui dixerunt, illam non adversari

doctrinæ S. Augustini. Et sic absoluta est præsens Actio prope horam 18.

CAPUT XIII.

Quid septima Congregatione disputatum? Quid Octava definitum?

Die 19. Augusti 1602. coram S. D. N. Clemente VIII. habita est Congregatio septima. De sexta Molinæ Propositione disputatum est: nimirum: *Homo solis viribus naturalibus, & concursu generali Dei, elicere potest actum absolutum, mere naturalem, dilectionis Dei super omnia, qui ad justificationem nequaquam sufficit; & propositum absolutum servandi in genere præcepta omnia, præsertim quando occasiones, & difficultates omnes absunt, quod ad attritionem & contritionem, quoad substantiam actus, sit sufficiens.* Disp. 14. mem. 3. §. Duo quadam, cum paragrapho sequente, & §. Novum, disp. 15.

Congressum gravi, ac prolixo sermone exorsus est Clemens VIII., quo Disputantibus nimium concertationis ardorem, & contentionem objicit: quasi quæ viros religiosos, in hisce præsertim Fidei controversiis, minus deceat. Patribus Societatis exprobravit, quod post oblatam olim S. Augustini citationum farraginem, quæ ad præsentem institutum nihil, aut parum faciebat; cum jam de conferenda S. Augustini, & Molinæ sententia tractandum esset, Augustino pene dimisso, ad Scholasticos Doctores disputationem convertissent. Quibus tamen diligentius introspectis; unicum Gregorium Ariminensem (cujus sententia jam olim ab omnibus rejecta fuit) invenerat Sanctitas Sua, qui sextæ Molinæ Propositioni utrumque favore videretur.

Postmodum in sextam illam Propositionem prolixè differuit; unde totam naturæ fanæ, & corruptæ distinctionem funditus evertit, demonstravit. Trimembrem dilectionis Dei distinctionem, a Molina, ut Pelagianismi labem effugeret, excogitatam fudit: qua nempe dilectionem Dei distribuit in dilectionem meræ velleitatis, dum aliquis ex amoris affectu velleit Dei mandata servare; dilectionem absolutam, sed inefficacem, dum scilicet aliquis, vere iustus, successu temporis a iustitia excidens, non omnia Dei mandata exsequitur, quæ prius sincero animo, & ex charitatis affectu implere decreverat; dilectionem tandem absolutam, & efficacem, dum nempe opere complet, quæ antea proposuerat: probavitque, Molinam eo novo figmento dilectionem efficacem cum perseverantia dono confudisse; ac propterea inde consequens fore, nec primos Parentes in statu Innocentiæ, nec justum ullum, qui in accepta iustitia ad finem usque non stetit, Deum efficaciter dilexisse.

His dictis, pro Molina in aciem venit Gregorius de Valentia. *Beatissime Pater*, inquit, *que dicta sunt a Sanctitate Vestra, apissime fuerunt producta ad explicandam hujus rei difficultatem, & etiam sunt vera secundum probabiliores sententias. Sed tamen queri adhuc potest, an que dicit Molina, saltem probabiliter possint defendi, sine nota heresi Pelagianæ.* Id ut ostenderet, observavit, Molinam in sexta Propositione de dilectione Dei

(1) Ex qd. 14. memb. 5. §. Istud tamen. (2) Ex Actis Secret. At in Compendio sic: Ex locis citatis, & ex memb. 3. ejusdem disp. prope finem, & ex disp. 19. memb. 6. §. Ad quartam, nec non ex §. Forte mirabitur, quem in edit. Antwerp. addidit memb. 6. disp. 19. diligenter expensis, constitit, fuisse expressam sententiam Molinæ, ab ipso ex professo traditam: Quod homo in statu nature lapsus possit, ex solis viribus naturalibus, absque ullo Gratiæ Divinæ speciali adjutorio, dolere de peccatis cum proposito absoluto amplius non peccandi letaliter, non solum ex timore gehennæ, sed etiam ex consideratione bonitatis divinæ, & amore ipsius Dei super omnia. Quam sententiam adversari doctrinæ S. Augustini, & Ecclesiæ Catholicæ definitionibus, potissimum in Concilio Arausicano, & in Tridentino editis, ex multis conclusum est.

super omnia inefficaci differuisse; id est subjunxit, quæ non complectitur observantiam mandatorum, et quæ adeo simul stat cum peccato.

Tunc orationem interrupit Summus Pontifex: Animadvertite, P. Valentia, quod Molina inter velleitatem, qua quis ex dilectionis, & amoris affectu velleit servare mandata omnia, simpliciter tamen, & absolute id non vult; & inter voluntatem absolutam, & efficacem, qua ex eodem affectu idem vult, & opere postea complet, constituit voluntatem absolutam, & inefficacem, qua ex eodem affectu idem vult, sed opere postea non complet. Cur non appellavit Molina hujusmodi voluntatem, & affectum dilectionis Dei, actum imperfectum, seu imperfectam dilectionem, ut Doctores loquuntur? Certe non alia de causa, nisi quia, si illam dilectionem dixisset esse imperfectam, facile contra illum evinci posset, eujusmodi dilectionem Dei non esse super omnia. Cum autem Molina docet, in statu naturæ corruptæ, gratiæ, & dilectionis Dei efficaciam pendere ex futura observantia mandatorum; ita ut libenter etiam concedat, primos Parentes ante lapsum non dilexisse Deum dilectione illa efficaci; procul dubio tantas vires tribuit Libero Arbitrio hominis lapsi, quantas habuit in natura integra. Potest enim secundum Molinam diligere Deum dilectione absoluta, inefficaci tamen, qualem primi Parentes habuerunt, antequam peccarent. Et postea caute asserit, solam illam dilectionem esse efficacem, quæ habet conjunctam perseverantiam in observantia legis; ut facilius persuaderet, posse hominem ex propriis suis viribus elicere actum absolutum, & perfectissimum dilectionis Dei super omnia. Quod enim hujusmodi homo postea labatur in peccatum, non tollit, quominus actus ille dilectionis Dei super omnia absolutus fuerit perfectissimus actus voluntatis in suo genere; & quod in via Molinæ gratia, per quam quis perseverat, non habeat efficaciam suam ex dono Dei, sed potius ex futuro affectu liberi arbitrii. Quæ omnia magnam in se continent difficultatem, multumque distant a doctrina S. Augustini. Sed tamen nunc vos progredimini ad ulteriora, & agite de ipsa Propositione.

Nihil ad hæc Gregorius de Valentia: sed misit in alterum tempus hujus argumenti tractationem, ad Propositionem ipsam continuo venit; de qua duo dixit. Primum, Molinam in eam duntaxat propendisse, non absolute propugnasse: Secundum, a Pelagianorum errore longe abesse; quia amor, naturæ viribus a Pelagianis adscriptus, excludit affectum peccati mortalis; secus vero dilectio Moliniana. Rursus hic dicentem interpellavit Sanctissimus Pontifex: Pater Valentia, inquit, ista dilectio, quam dicis, posse consistere cum affectu peccati mortalis; non est actus absolutus, sed velleitas quedam, de qua non est questio cum Molina: sed de dilectione Dei super omnia absoluta; quam dicit posse haberi ex viribus naturæ, cum proposito etiam absoluto servandi omnia præcepta.

Respondit ille, dilectionem etiam absolutam, a Molina naturæ viribus adscriptam, cum affectu peccati stare posse, tamque ab efficaci fecerendam esse, de qua Pelagiani cum Augustino disputant. Quocirca multa ex Augustino protulit, ut Pelagianorum errorem in eo duntaxat situm ostenderet, quod amorem Dei, plenæ, & integræ divinarum mandatorum observantia conjunctum, nativis viribus parem propugnasset. Bullam Gregorii XIII. adversus Bajam, velut apertam Molinianæ sententiæ definitionem, laudavit, quod in ea dupli-

cis amoris distinctio definita sit. Ac tandem ab anno 1200. ad sua usque tempora decurrens, triginta, & amplius Doctores Scholasticos laudavit, qui eidem doctrinæ adhaerissent.

Pugnavit pro adversa parte Prædicatorum Generalis; qui universam Valentiam ad quem quatuor capita revocans, sextam Propositionem Pelagianismi merito insinuatam ostendit. Probavit enim in primis, Molinam in sexta Propositionis doctrinam non propendisse modo, sed & reipsa eam propugnasse; argumento petito ex §. Forte mirabitur, quem editioni Antverpiensi addidit. Secundo probavit, Doctores Scholasticos huic sententiæ non adhaerisse, Quia, inquit, solum dicunt, posse hominem elicere actum quemdam imperfectum, & secundum substantiam actus dilectionis Dei, qui sit velleitas quedam, atque adeo non habeat ordinem ad gratiam. Quod si quidam ex Scholasticis dixerunt, posse hominem naturæ solius viribus diligere Deum naturali dilectione, aut hanc dilectionem Dei naturalem esse similem dilectioni Dei supernaturali, vel dari dilectionem Dei naturalem secundum presentem statum; nunquam tamen docuerunt, quod possit ex sola sua facultate, sine speciali Dei auxilio, diligere Deum super omnia. Nam ista Dei dilectio super omnia dicit modum, quem illi excludunt, admittentes solum dilectionem Dei quoad substantiam actus. Tertio ostendit, multum abesse, ut eam Molinam doctrinam Gregorius XIII. definierit; quia licet distinctionem, duplicis amoris agnovit, de viribus tamen Liberi Arbitrii in amoris naturalis actibus eliciendis nihil decrevit. Quarto ostendit, non modo huc novo dogmati Augustinum non adhaerisse; veram etiam illud idem, uti Pelagianum errorem, totis viribus impugnasse. Demum occupavit effugium, quo Valentia Molinam ab errore liberare tentaverat; nempe absolutam Dei dilectionem non censerit efficacem, nisi reipsa omnia mandata postmodum exequatur, quæ prius sincero animo, & ex charitatis affectu implere decreverat.

In eodem effugio impugnando non parum temporis insumpsit Thomas de Lemos; tum ob absurdas conclusiones inde derivatas; tum maxime quia actus absolutus dilectionis Dei super omnia pro tempore, quo durat, continet in virtute, & voto omnium præceptorum observantiam, ac propterea simul efficax est, quantumcumque homo deinceps a justitia excidat: ex quo intulit, Molinam efficacem Dei dilectionem super omnia naturæ viribus tribuisse, dum eis absolutam dilectionem adscripsit.

Non ob id tamen fasces submitit Gregorius de Valentia, sed Molinæ principii insistentes, nullum Dei amorem efficacem esse contendit, nisi in eo, qui integra omnium mandatorum observantia ad finem usque perseverat. Quem cum diutius hoc de argumento audiisset Pontifex, adeo in eam doctrinam commotus est, ut Lemosii partes in se fumens, disputationem ad finem usque profectus sit, ut novi hujusce systematis ineptiam demonstraret. Vos dicitis, inquit, non habere dilectionem efficacem nisi illum, in quo viget iste actus usque ad finem vite: ergo nullus habet hanc dilectionem, nisi perseveret usque ad finem vite; igitur illud præceptum non potest observari nisi ab illo, qui perseverat usque ad finem vite. Respondit Valentia: Potest observari hoc præceptum ex parte, non ex toto. Inquit Pontifex: Si homo aliquis, qui diligit Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex tota virtute sua, qui perseveret in hujusmodi dilectione per duos, vel tres, vel plures annos; & postea labatur in peccatum. Iste secundum vestram doctrinam non potest dici, quod habuerit pro tempore, quo Deum dilexit.

efficacem Dei dilectionem, quia non perseveravit in illa dilectione usque in finem; & tamen dilexit Deum ex toto corde suo, ex tota anima sua, ex tota mente sua, & ex tota virtute sua. Reposuit ille: Illa dilectio fuit efficax, quia duravit longo tempore. Subiungit Beatus Pater: Jam ergo illa dilectio fuit efficax pro toto illo tempore, quo duravit, quavis postea labatur in peccatum. Ergo lapsus futurus non tollit, quominus dilectio Dei supra omnia sit efficax pro tempore, quo durat. Replicavit ille. Dilectio illa, si diu duravit, & oblatas difficultates superavit, potest dici efficax pro eo tempore, quavis non perseveraverit usque in finem. Tunc ita subintulit doctissimus Pontifex: Igitur secundum vos illa sola erit dilectio Dei efficax, per quam homo actus superat difficultates, & resistit tentationibus. Sit itaque aliquis, qui ad Deum conversus, extra occasiones omnes constitutus, diligit Deum ex toto corde suo super omnia, & cum proposito servandi omnia præcepta; & post unum, vel duos dies, vel etiam post duas, vel tres horas, quibus ita Deum dilexit, moriatur. Quod iste vitam æternam consequatur, non negabis. Vel igitur iste habuit pro brevi illo tempore dilectionem efficacem, vel inefficacem. Si inefficacem; ergo sine dilectione Dei efficaci saltem sempiternam consequatur. Si efficacem; saltem igitur est, solam illam esse efficacem dilectionem Dei, quæ est super omnia, quæ progressu temporis occurrunt, ita ut in occasionibus oblati superet omnes. Insolubili argumento frigide respondit Valentia: Illa dici potest dilectio efficax, quavis brevi tempore duraverit, quia perseveravit usque in finem.

His dictis insurrexit Lemosius, non ut quidpiam efficacissimo Pontificis argumento adjiceret, sed ut nonnulla a Molina asserta ostenderet, quæ prius Valentia pernegaverat. Jam Codicem aperuerat, cum ob elapsi temporis prolixitatem disputationis finem fecit Clemens VIII., iustisque, ut iudicium de sexta Propositione in diem alteram differretur; quod non satis temporis superesset, ut e vestigio de illa inter sese Consultatores conferre possent.

#### Judicium de sexta Molinæ Propositione.

(1) Die 20. mensis Augusti, anno 1602. hora 13. cum prius S. D. N. Sacrum fecisset; collectis DD. Cardinalibus, Episcopis, & Patribus Theologis in unum, dixit S. D. N. ut singuli Consultatores sigillatim dicerent de sexta Propositione Molinæ. Qui cum tam propositionem in se, quam rationes, & Doctorum Scholasticorum sententias, quibus Molina, & Defensores ejus illam ab omni erroris suspitione vindicare conati fuerant, æque expendissent, & cum doctrina S. Augustini, contra Pelagianos tradita, maturo judicio consulissent; post diligentem discussionem, & examinationem illorum omnium, quæ pro Molinæ doctrina, contenta in prædicta propositione, vel producta fuerant, vel producti potuissent; censuerunt omnes, sextam Propositionem Molinæ neque esse secundum doctrinam S. Augustini; neque ex illa ullo modo posse deduci, sed potius illi omnino adversari. Cum tamen hujus sententiæ omnes, fuissent: D. Episcopus Aquilensis, & P. Regens Collegii Carmelitarum dixerunt, Serry Tom. I.

(1) Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Ex doctrina S. Augustini, ex professo tradita contra Pelagianos, & eorum reliquias, multis in locis, & ex Concilio Milevitano Can. 4. & Arasico. 2. Can. ult. & Trid. Sess. 6. Can. 6. & c. 7. resoluti Congregatio, non posse hominem in statu naturæ lapsæ sine speciali Divinæ Gratiæ adjutorio diligere Deum, neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem Gratiæ, & Gloriæ, neque perfecte, neque imperfecte, & hanc sententiam S. Augustini esse doctrinam Ecclesiæ, atque ab illa omnino detestasse Molinam in hac sexta Propositione, quæ neque in propriis terminis apud S. Augustinum reperitur, neque ex illius doctrina ulla ratione deici potest.

sententiam Molinæ non esse contra S. Augustinum. P. vero Procurator Ordinis S. Augustini in eam sententiam descendit, ut putarit, Molinam in modo saltem loquendi assentiri Pelagianis, atque adeo discedere a S. Augustini doctrina. Et absoluta fuit præfens Actio, prope horam 18.

#### CAPUT XIV.

Quid Nona Congregatione disputatum? Quid Decima definitum?

Die 2. Septembris 1602. habita est nona Congregatio coram Clemente VIII. Disputatum fuit de septima Molinæ Propositione, seu: An interim, dum iudicium rationis non absorberetur, maneat in Libero Arbitrio, cum solo concursu generali Dei, libertas ad non consentiendum in quocumque temporis momento cuicumque gravi tentationi, & ad superandam quamcumque magnam difficultatem, quam pro servanda in eo solum instanti lege naturali necesse sit vincere, etiamsi ea de causa mors sit toleranda; ita videlicet ut si consentiat, peccet, eo quod, secluso quocumque alio majori auxilio, in potestate ipsius, tamen non sine ingenti difficultate, positum sit, non transgredi tunc legem. Disp. 19. memb. 1. Et in memb. 2. partem affirmantem amplectitur, ut patet etiam ex memb. 6. §. Forte mirabitur, quem addidit in editione Antverpiensi.

Quam superioris Disputationis initio Disputantibus objurgationem fecerat Clemens VIII. affectatæ nimis contentions, & rixæ, eandem illam durioribus verbis sub istius initium innovavit. Quosnam porto sua illa increpatione peteret Sanctissimus Pontifex, Prædicatores-ne, an Jesuitas, an utrosque simul, plus satis ostendit, dum in eos conversus per ridiculum ait: Si tam leviter læcessiti, neque vos continetis, neque a verbis temperatis; quoniam pacto nobis persuadere vultis, (quæ est sententia Molinæ) posse quempiam sine auxilio Dei, quamcumque etiam gravissimam tentationem, vehementissimamque difficultatem superare?

His præmissis, pro Molina certavit Gregorius de Valentia; qui septimam Propositionem ab errore Pelagianis vindicaturus, tria hæresis illius capita distinctimè, a quibus Molinam remotissimum dixit. Primum hæresis Pelagianæ caput in eo posuit. Quod contenderent, posse hominem ex solo bono naturæ superare omnes omnino tentationes; ita ut nulla esset, quam non valeret ex se, sine Dei adjutorio, vincere. Secundum, quod putarent, posse hominem superare etiam multas tentationes, eodem tempore occurrentes, & quaslibet, vel quamlibet, etiam gravem, & vehementem diu sine Dei gratia; ita ut non solum multas, verum & diuturnas posset ex se solo vincere. Tertium, quod evincere conarentur, posse hominem sine gratia superare omnes tentationes simul, & quamlibet, non tantum ad vitandum peccatum, sed etiam ad fidem, & ex charitate, pie, & meritorie. Postmodum ad Doctores Scholasticos gressum fecit; quos inter, viginti sex numeravit, qui Molinæ Systemati propinquarent. B b mens

mens VIII. „ Ego, inquit, vobis proposui quasdam propositiones, desumptas ex Molinae Concordia, quarum una hæc est, de superandis tentationibus ex sola facultate naturæ: & præcepi, ut de illarum veritate differeretis secundum mentem S. Augustini. Vos autem ad Scholasticos passim, relicto S. Augustino, recurritis; cum tamen in Sacris Conciliis, quando agitur de doctrina Fidei stabilienda, vel definienda, & erroribus extirpandis, non ad Scholasticos, sed ad Patres, vel ad Sacras Scripturas, & ad Concilia approbata videam provocari. Nihil tamen salutari illa monitione territis Valentia, stetit in incepto: Doctorum Scholasticorum suffragia persecutus est, ut Liberi Arbitrii vires in vitandis peccatis, ac superandis tentationibus extolleret. Quem idcirco Pontifex secundo interpellavit, & ad legitimos disputationis cardines reduxit: „ *Andi, inquit, quid definit Concilium Tridentinum de peccato Originali.* „ Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse; incurrisseque, per offensam prævaricationis huiusmodi, iram, & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli; totumque Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse, Anathema sit.

Certe ego non video, quomodo cum veritate huius Decreti possit consistere doctrina Molinae. Nam Concilium definit, hominem per peccatum Originale incurrisse mortem, & cum morte captivitatem sub diaboli potestate; atque secundum corpus, & animam in deterius fuisse commutatum. Molina vero docet, in homine tantas esse vires naturæ, ut possit sine Dei auxilio assentiri omnibus fidei mysteriis, tantquam a Deo revelatis; sperare æternam beatitudinem, & quæ ab illo revelata, & promissa sunt nobis; diligere Deum super omnia; habere propositum absolutum servandis omnia mandata, obligantia sub culpa lethali; dolere de peccatis propter Deum; superare quamcumque gravem, vehementemque tentationem, ac mortem pro Deo oppetere, ne in peccatum labatur. Dicit mihi: quomodo homo in deterius est mutatus, & sub diaboli potestate est, si hæc omnia sine Dei gratia prestare potest? Aut in quo differt homo naturæ lapsæ ab homine naturæ integræ?

Respondit Valentia, iis etiam positis, quæ Molina supponit, statum naturæ integræ a statu naturæ lapsæ abunde distinctum iri; quia in statu naturæ integræ hæc omnia collective, ac diuturno tempore, immo & per totam vitam præstare possent; secus in statu naturæ lapsæ.

Dixit subinde Thomas de Lemos, totamque Valentia actionem distinctis articulis impugnavit. Ostendit in primis, Pelagianos non ob id solum errasse, quod vellent, posse hominem omnes simul vincere tentationes; verum etiam quod assererent, posse illum aliquam gravem, & vehementem tentationem solis naturæ viribus superare.

(1) Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Ex inspectione totius disp. 19. & examine doctrinæ, in illa a Molina tradita, & ex collatione illius cum sententia S. Augustini apparet, Propositionem septimam Molinae, valde cononiam. Conclufum est autem, non posse solis naturæ viribus ullam veram tentationem superare in Concilio, & summorum Pontificum, contra Pelagianos, & eorum reliquias asserant, & definitam, ut conthaginens ad Innocentium, & ex Epistola eisdem Innocentii ad Patres Concilii Milevitanum, & Carthaginiensis, qui Innocentio successit, cujus meminit Concilium Papa in Epist. ad Gallos, cap. 9. & ex eadem Epistola Celestini, cap. 6.

Secundo, eosdem illos errasse, quod omnes occurrentes tentationes, non quidem diu, brevi tamen tempore vinci, totamque naturæ legem naturali facultate impleri posse, putarent: indeque intralite, Molinaam duplici ex capite in Pelagianismum incidisse. Tertio probavit, Pelagianos non eo usque desipuiffe, ut victoriam tentationum, naturalem facultate reportarent, æternæ vitæ meritariam, palam effutirent; cum opera, sine fide, & charitate facta, fructuosa esse, atque ad regna cœlestia, vitamque perducere posse; pernegarent. Addidit, hoc ultimum absurdum, a Pelagianis pernegatum, ex septima Molinae Propositione per evidentem consequentiam deduci posse; perinde ac illud ex Juliani Pelagiani systemate deduxerat Augustinus. Qui enim pro Deo, legem naturalis auctore moreretur, gratiam a Deo mereatur, & gloriam; supposita præferunt Molinaana lege de gratia, homini facientii, quod in se est, conferenda: nihil enim plus facere potest homo, quam pro Deo mortem oppetere. Ultimo loco ad Doctores Scholasticos pro Molina laudatos venit; ex quibus neminem septimæ Propositioni adfuisse, ostendit. Siquidem vel omnes simul tentationes ad breve tempus superari, vel earum quamlibet graviores ex legis amore vinci posse, nemo docuerat.

Ad hæc non pauca reposuit Gregorius de Valentia. Urque naturales Liberi Arbitrii vires superandis tentationibus pares ostenderet, magnam argumentorum furor vim in eo posuit, quod eadem Liberi Arbitrii vires essent in natura lapsa, quales in natura pura fuissent.

In eam sententiam, repetitis interlocutionibus, acris declamavit Thomas de Lemos, ex qua peccatum Originale extinctum iri, contendit. Immo & eo usque devenit, ut peccatum Originale a Molina reipsa negatum, demonstraret, in Concordia quest. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 9. Ubi parvulus sine baptismo morientes vitam meliorem habituros defendit, omni mentis, & corporis vitio immunem, perinde ac si in puris naturalibus conditi fuissent.

Disputationi, dato signo, finem fecit Clemens VIII. hora 19. iudiciumque de controversa questione in alteram Congregationem distulit, quo commodius Consultores in suffragium irent.

Judicium de septima Molinae Propositione.

(1) „ Die 3. mensis Septembris, Anno Domini 1602. hora 14. cum prius S. D. N. Sacrum fecisset; simul atque omnes convenerunt, S. D. N., implorata gratia Spiritus Sancti, juxta morem consuetum, dixit, ut agerent de septima Propositione Molinae, quæ est de victoriam tentationum comparanda ex sola facultate naturæ, sine speciali ullo Dei auxilio; & singuli quid de illa sentirent, candide professerent: Utrum scilicet ea, quæ Molina hæc de re asseruit, fuerint a S. Augustino tradita; vel ita sint secundum ejus mentem asserta, ut illius doctrinæ non advenferunt.

„ Igitur præhabita hæc de re diligenti discussione, expensa sententia Molinae, & vero illius sensu.

„ sensu examinato, collata denique prædicta Propositione, secundum mentem Molinae sincere intellecta, cum certa, & patenti doctrina S. Augustini, candide relata, censuerunt omnes, non obstantibus ex adverso productis a Patribus Societatis in illius defensionem, septimam Propositionem Molinae, prout ab illo asseritur, & in proprio illius sensu, neque expresse traditam a S. Augustino, neque secundum mentem ejus, & veram, atque Catholicam doctrinam, contra Pelagianos, & Semipelagianos ab illo pluribus in locis ex Divinis Scripturis confirmatam, sed potius contra illam assertam, eique omnino contrariam. A qua sententia discesserunt D. Episcopus Aquilensis, & P. Regens Carmelitarum, qui sustinebant, hanc septimam Propositionem Molinae non esse contrariam doctrinæ S. Augustini, quamvis expresse non legatur in ejus libris. Et absoluta est prærens Actio prope horam 20.

CAPUT XV.

Quid Undecima Congregatione disputatum? Quid Duodecima definitum?

Die 30. Septembris 1602. habita est undecima Congregatio coram Clemente VIII. Disputatum est de secundo dubio: An in libris S. Augustini legatur, Constitutum esse a Deo legem insalubrem cum Christo Filio suo, ut, quoties homo solis naturæ viribus fecerit totum, quod in se est, Deus illi tribuat gratiam; vel id sit de mente S. Augustini? Quocirca sequens Molinae Propositio discussa est: Quotiescumque Liberum Arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstare est ad conandum totum id, quod ex se potest, tam circa ea, quæ fides habet, addiscenda, & amplectenda; quam circa dolorem de peccatis, ac justificationem, a Deo conferri gratiam prævenientem; auxiliare, quibus id faciat, ut oportet ad salutem: non quidem quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullaque ratione ea promeretur; sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob merita sua; atque inter leges, quas iam ipse, quam Pater Æternus statuerunt de auxiliis, & donis, quæ nobis Christus promeruit, mere gratis conferendæ; una, eaque rationi maxime consentanea fuit, ut, quoties ex nostris viribus naturaliter conaremur facere, quod in nobis est, præsto nobis essent Auxilia Gratia, quibus ea, ut oportet ad salutem, efficiemus. Disp. 10. in prin. & disp. 11. §. Post hæc.

Hujus propositionis orthodoxiam defendit Gregorius de Valentia. Duo probanda sibi sumpsit: 1. Nullam in ea dari partem Pelagianam, adeo quod singula illius partes continent doctrinam Catholicam. 2. Nihil ex illa, secundum se totam considerata, colligi posse, quod sit Pelagianum. De utroque capite copiose disseruit. Circa primum, propositionem in quatuor partes distribuit, quarum nullam Pelagianam esse voluit. 1. Erat, quod possit homo viribus naturæ facere totum, quod in se est. 2. Facienti, quod in se est, Deus dat gratiam. 3. Gratia hæc datur ex pacto & lege. 4. Ea lex facta est propter merita Christi. Quoad secundum, nihil ex ea doctrina incommodum sequi, contendit: nempe ex ea lege gratiam conferendi homini facienti, quod in se est, nullo pacto sequi, Gratiam ex meritis dari, vel ad illam jus acquiri, vel initium justificationis nobis ascribi, vel unum ab altero naturæ viribus discerni, vel collationis gratiae rationem ex nobis repeti, vel salutem æternam in cuiusvis manibus Serry Tom. I.

positam esse, vel demum in hominis voluntatem inuiscujusque damnationem refundi.

Postmodum varios S. Augustini locos congeffit in Molinaana doctrinæ defensionem. Hos inter palmaris fuit, qui ex libro 19. De Civitate Dei, capite 13. petitus est, de quo multa capite quinto diximus. Doctores demum Scholasticos magno numero laudavit, qui doceant, posse hominem facere, quod in se est, ut gratiam consequatur.

Pro adversa parte peroravit Thomas de Lemos. Actionem pene omnem ad hoc argumentum revocavit, cujus singulas confutationes probavit ex SS. Augustino, & Prospero: Si facienti, quod in se est, ex viribus naturæ, Deus ex certa lege conferat gratiam prævenientem: ergo in negotio salutis voluntas nostra præcedit Gratiam: ergo Gratia Dei est pedisequa: ergo datur ex meritis. De Semipelagianorum sententia circa initium bonorum operum proluxe dixit; unamque ipsorum, & Molina doctrinam esse, demonstravit. Ad solvenda deinde S. Augustini testimonia, a Molina Defensore laudata, progressus, (1) locum ex libro 19. De Civitate Dei, cap. 13. laudatum, juxta textum fidem exposuit; ne, si juxta Valentia interpretationem exciperetur, Augustinus Pelagianis ipsis turpius errasse convinceretur. Ad qua Valentia: Nos non sumus commentati sententiam Augustini, sed illam fideliter retulimus: formalibus autem verbis ait, quod Deus bene utenti temporalibus, ex pacto æquissimo dabit majora dona, & gloriam.

Incaluit hic disputatio. Non ita inquit S. Augustinus, subjunxit Lemos, sed quod homini, bene utenti temporalibus, dona alia dabit Deus, scilicet ipsam immortalitatis gloriam. Ergo intelligunt Patres isti, ex sententia S. Augustini dari ipsam immortalitatis gloriam homini facienti, quod in se est, sine Gratia Divina: quod est nimis alienum ab illius mente. Quod enim ibi asserit, est, Deum ex pacto æquissimo justitiam dare Gloriam illi, qui bene usi fuerint temporalibus ex Divina Gratia, non autem ex solis viribus naturæ; secundum illud Apostoli: Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex; non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt adventum ejus.

Responsum hoc probavit Pontifex. „ S. Augustinus, inquit, in capite sequenti expressit mentem suam. Ait enim, indigere hominem, ut non erret in bono usu temporalium, Divino Magisterio, cui certus obtemperet; & adjutorio, ut liber obtemperet.

Tum institutum persecutus est Lemofius. Per vulgatum axioma, quo Valentia insigniter abusus fuerat: Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam, de homine, actuali gratia adjuvato, intelligendum ostendit. Doctores etiam Scholasticos, pro Molina laudatos, exposuit, et quibus neminem huicce novo figmento patrocinatum, probavit. Eorum quippe nemo docuit, Deum non consuevisse gratiam prævenientem elargiri, nisi ea naturæ opera præcesserint; nemo hominem iis naturæ conatibus ad gratiæ receptionem præparari finxit; nemo gratiam propter opera moralia conferri, deliravit; nemo legem, pactumve ea in parte commentus est, nemo nativos illos conatus eo extulit, ut quispiam mortem pro Deo oppetere possit: quæ omnia novi hujus systematis auctor effutit.

Non pauca addidit Vir eruditus, ut interjectam Valentia responfionem confutaret; qua videlicet Semipelagianos ideo duntaxat damnatos dixerat, quod fidem piam, & christianam nativis

(1) Vide supra Cap. 5.

conatibus tribuissent, de qua Molina in hacce quaestione non egerat: probavitque, Molinam, non fecus ac Semipelagianos verbis quidem non semel declarasse, se de fide mere naturali disputare; re ipsa vero de fide pia, atque Christiana locutum fuisse, dum docuit, propositis, & explicitis fidei mysteriis omnibus, posse hominem asferri ex sola naturali facultate, tanquam revelatis a Deo, & quia revelata sunt, actu mere naturali.

Quibus dictis (1) (inquit Acta) Pater Generalis Societatis oravit S. D. N., ut modum, & finem imponeret presenti disputationi: quoniam Pater Gregorius de Valentia non recta valetudine utebatur, & periculum foret, ne animi deliquina patereetur. Cui petitioni S. D. N. satisfecit, & imperio silentio virique Patri, absoluta est presens Actio prope horam vigesimam.

Judicium de Propositione Molinæ superius disputata.

(2) Die Martis, prima mensis Octobris, anno Domini 1602. hora 14. cum prius S. D. N. Sacrum fecisset, collectis simul DD. Cardinalibus, Episcopis, & Patribus Consultoribus, implorata prius Spiritus Sancti gratia, S. D. N. precepit, ut singuli dicerent de secundo articulo propositæ quaestionis, videlicet: An in libris S. Augustini legatur, Constitutum esse a Deo legem infallibilem cum Christo ejus Filio, ut quoties homo solis naturæ viribus fecerit totum, quod in se est, Deus illi tribuat gratiam; vel id sit de mente S. Augustini? Qua de re cum singuli in suo ordine, diligenti studio, plene, cumulateque differuissent; expendissent etiam Molinæ opinionem de prædicta lege, illiusque verum, & genuinum sensum ex pluribus locis CONCORDIÆ ejus esse compersissent, Deum ex vi legis, a se constitutæ, teneri gratiam infallibiliter dare homini, conanti ex ingenitis naturæ suæ viribus, vel circa fidei mysteria addiscenda, & amplectenda, vel circa dolorem de peccatis, & justificationem ipsam; ita ut prius sit (secundum communem modum, quem Deus servat in vocandis hominibus ab infidelitate ad fidem, vel ab impietate ad pietatem) hominis conatus, postea vero gratia Dei subsequatur: perfectis deinde, & diligenter consideratis sententiis aliorum Doctorum Catholicorum, quos Patres Societatis produxerant in defensionem prædictæ propositionis: illorum denique potissimis rationibus maturo judicio examinatis; convenerunt omnes, prædictam Molinæ opinionem nusquam fuisse a S. Augustino expresse traditam, neque ullo modo posse colligi ex illius doctrina; sed potius adversari omnino illi, quam contra Pelagianos, & Semipelagianos ex Divinis Scripturis in suis libris sepe comprobavit. Idque non obstantibus quibuscunque ex adverso productis, quibus ita satisfactum fuit, ut evidenter constiterit, tam argumenta Defensorum Molinæ esse captiosa, & fallacia, quam Doctorum sententias falso intercisas, & corruptas, ab illis fuisse allatas.

(1) Vide supra Cap. 5.

(2) Ex Actis Secretarii. At in Compendio sic: Hæc Molinæ opinio secundum proprium & genuinum eius sensum est omnino aliena a doctrina Sancti Augustini; ex qua nullo modo colligi potest: Continet enim, Deum ex vi legis illius, a se constitutæ, teneri gratiam infallibiliter dare homini conanti ex ingenitis naturæ suæ viribus, vel circa fidei mysteria addiscenda, & amplectenda, vel circa dolorem de peccatis, ac justificationem ipsam: ita ut secundum communem modum, quem Deus servat in vocandis hominibus ab infidelitate ad fidem, vel ab impietate ad pietatem, prius sit hominis conatus, postea vero gratia Dei subsequatur. Quo ita indicatur ratio debiti, ut merces reddatur non secundum gratiam, sed secundum debitum: quod est in damnatum Pelagii dogma relabi, Gratiam Dei secundum merita nostra dari. Ita enim contra Semipelagianos sæpillime colligit S. Augustinus.

Huc tamen communi totius Congregationis judicio non consenserunt D. Episcopus Aquilanus, qui censuit, hanc Molinæ doctrinam non esse omnino falsam, & improbabilem, quamvis contrariam sententiam dixerit probabiliorem: Pater Procurator Ordinis S. Augustini, qui judicavit, non omnino esse rejiciendam prædictam doctrinam, tanquam suspensam Pelagianismi, cujus umbram, & speciem tantum continere videbatur; sed re ipsa non esse formaliter Pelagianam, posseque, adhibitis sensibus, facile ad mentem S. Augustini reduci: & Pater Regens Collegii Carmelitarum, qui dixit, Molinam in hac sententia non adversari ullo modo S. Augustino; immo illa, quæ de hujusmodi lege docuit, esse secundum S. Augustini doctrinam tradita.

Atque ita absoluta fuit Actio hodierna prope horam vigesimam.

### CAPUT XVI.

Quid decimateria Congregatione disputatum? Quid decimaquarta definitum?

Die 18. Novembris 1602. habita est decimateria Congregatio coram Clemente VIII. Agi cœpit de tertio Scripto, ad utramque partem transmissio die 6. Octobris. Disputatum imprimis est de primo Scripto hujus articulo: An Molinæ cum Cassiano conveniat in hac propositione: Quod homo in natura lapsa habeat naturalem facultatem ad utrumque amplectendum, absque hoc, quod aliquam ponat distinctionem? Exitat disp. 5. §. Ea vero in CONCORDIA.

Valentia loco Molinæ partes defendit Petrus Arrubal. Molinam a Cassiano in prima propositionis parte remotissimum dixit; quod iste de cognitione pia, atque Christiana locutus sit, eam naturæ viribus adscribens: ille de scientia, ac fide, quæ nihil conferat ad salutem.

Egit pro adversa parte Thomas de Lemos; probavitque, Molinam, non fecus ac Cassianum, de fide, & cognitione pia, atque Christiana reipsa differuisse, idque ex ejus principis aperte colligi: tamen ab iis vocibus consulto abstinerit, ut Semipelagianismi venenum obregeret. Quid enim aliud sibi vult, dum docet, hominem, propositis sibi fidei mysteriis, posse naturæ viribus attente expendere, quid sibi, salutique suæ magis expediat? Aut, dum ipsam fidei mysteriis quatenus a Deo revelata sunt, assensum naturaliter præstari posse, contendit?

In altera propositionis parte Molinam perinde a Cassiano remotissimum contendit Arrubal; quod iste facultatem naturalem ad bonum pium, & ad salutem ordinatum, amplectendum admisisset; fecus iste. Ostendit e contra Lemofius, Cassianum nusquam aperte bonum, fini supernaturali accommodatum, viribus naturalibus tribuisse; sed quædam duntaxat semina naturalia propugnasse, quæ nisi excitentur per gratiam, nihil profunt ad salutem. Quæ in re Molinam eidem errori adhæsisse demonstravit, dum pervulgatam Ecclesiastici locum,

locum, (1) Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi, de homine lapsa, & per gratiam non adjuto, voluit intelligendum, quasi in utrumque perinde naturæ corruptæ viribus ferri vult.

Disputatum deinde de secundo tertii Scripti articulo: An Molinæ cum Cassiano conveniat in hac propositione: Quod gratia illuminans, vocans, & excitans sufficit ad salutem? Exitat apud Molinam disp. 4. §. Ex dictis.

Non convenire, contendit Arrubal: Quoniam, inquit, Cassianus non agnovit ullam gratiam, præter excitantem intellectum, & legem: Molinæ vero dicit. 1. Hanc gratiam habere duas influxus, & per unum excitare intellectum, per alium voluntatem. 2. Dicit, hanc gratiam esse vim quandam, seu virtutem Divinam, atque adeo voluntatem operari ex virtute illius. 3. Dicit, hanc gratiam esse in utraque potentia. Hæc dum ille vehementer urgeret, gratiamque cooperantem a Molinæ admittam, ostenderet, dixit Sanctissimus Pontifex: Concedit quidem Molinæ, gratiam cooperari cum voluntate; sed tamen explicat istam gratiæ cooperationem esse, libero arbitrio jam consentiente, & cooperante, quod per gratiam fuerat solum excitatum, & invitatum. Hunc nodum ut solveret Molinæ Vindex, circuitione usus est. Ostendit, gratiam secundum Molinam duplicem influxum habere: unum, quo excitat, allicit, & invitat; eoque pacto dici prævenientem: alterum, quo cooperatur homini ad actus illos, ad quos invitaverat; sicque cooperantem, & adjuvantem appellari: nihilque omnino referre, an illa gratia officii, an entitate distinguatur.

Post hæc dixit Lemofius, Ostendit, Cassianum gratiam illuminantem, excitantem, allicientem, & invitantem, perinde ac Molinam admisisse: illum tamen a S. Prospero nusquam habitum ut Catholicum; quod gratiam prævenientem, quæ vere ætionis, & operationis sit, non agnovisset. Quia, inquit, principium certum, & indubitatum fuit apud S. Prosperum, Gratiam illam, quæ solum illuminat, excitat, allicit, & invitat, pertinere ad legem, atque doctrinam. Tum ad Arrubalis circuitionem, quo Pontificis argumentum effugerat, deveniens: Non video, inquit, cur Patres confugiant ad distinctionem constituentem virtuales, vel formales inter gratiam prævenientem, & cooperantem: Non enim nos agimus de distinctione reali, vel formali, vel virtuali, quia hoc non pertinet ad finem. Quod contendimus est, concedendam omnino esse duplicem gratiam, ita ut sint duo effectus formales. Sive autem duplex illa gratia distinguatur realiter, sive formaliter tantum, non curamus. Concedat igitur Molinæ, gratiam proprie excitare, & vere adjuvare voluntates nostras, præbendo ei vires, non metaphoricæ, sed propriæ, & realiter prævenientem, & faciendo facere: & tunc erit nobis concordia, & pax cum illius Concordia libro.

Respondit Arrubal, Molinam negare duntaxat, voluntatem nostram a Deo prædeterminari physice ad unum, ita ut in sensu composito non possit dissentire, & aliud velle: concedere tamen, Deum per gratiam suam movere voluntates nostras reali, & vera motione interna, non metaphoricæ tantum. Eam confessionem minus apertam judicavit Prædicatorum Generalis: idcirco instituit secundo: Concedat Molinæ, gratiam prævenientem,

ut prævenientem, movere voluntates hominum vera, reali, & physica motione: & erit nobis pax cum illo. Nihil ad hæc expedite responsum est. Cum autem acrius urgeret Lemofius, ut ostenderet, Pelagium gratiam tandem prævenientem agnovisse, quæ interne illuminaret, & suaderet; nec tamen Augustinum confessionem illam ratam habuisse, nisi gratiam etiam conferteret, quæ vere, & realiter hominem excitaret, præoperando, & inducendo, & perducendo illum ad efficiendam Dei voluntatem; occurrit Societatis Generalis, & converso ad Summum Pontificem sermone, ait: Beatissime Pater, ista quaestio non potest solvi, nisi determinando, quomodo movet Gratia Divina voluntatem hominis, an prædeterminando illam physice, an vero moraliter tantum. At vero non sumus parati ad respondendum de hoc dubio. Interim tamen Sanctitas Vestra determinabit, quod voluerit. Verumtamen si agendum sit de hac quaestione, prius consulendi erunt plures quinquaginta ex nostris Doctoribus, qui sentiunt, sententiam illam de Gratia physice prædeterminante esse errantem; quamvis in sensu, quo illam defendunt Patres Prædicatores, fortassis erit probabilis. Sed an Molinæ dixerit, sufficere ad salutem gratiam excitantem, (quod certe nunquam Molinam dixit) de hoc est presens controversia.

Circuitiones illas, quibus gratiæ prævenientis naturam, & efficaciam exponere detreclabant Molinæ vindices, iniquo animo tulit facer Confessus. Illos de clariori, atque expeditiori explicatione appellavit Joannes de Rada, Cenforum unus: Ut intelligamus, ait, sententiam Patrum Societatis; dicant, an putent, Deum per gratiam suam operari in voluntates hominum? Respondit Generalis, novo petito diverticulo: Pater Lemos dicebat, Pelagianos, & Semipelagianos possuisse gratiam, promittentem future gloriæ magnitudinem, & præmia æterna: at vero Molinæ concedit gratiam, moventem physice. Institit iterum Congregationis Secretarius: Explicite dicat R. P. Generalis Societatis, utrum sentiat gratiam prævenientem, ut præveniens est, operari in voluntatibus nostris, movendo eas vere, & realiter ad actus deliberatos, & faciendo, illas facere, & operari? Respondit ille: Fatemur, Deum per gratiam suam movere nostras voluntates, & facere eas facere; ita ut infallibiliter sequatur effectus, ad quem Deus movet illas: quomodo autem moveat, non dicimus, an hoc, vel illo modo. Dicimus tamen motionem hujus gratiæ, independentem a libero arbitrio; id est, non quod introducat virtutem in illud, sed non sine respectu ad liberum arbitrium. Interrogavit tertio Thomas de Lemos: Postulamus expressius, An illa gratia applicet liberum arbitrium ad effectum? Verum furdis canebar auribus. Respondit Petrus Arrubal: Revocatur quaestio ad aliam, de qua non est presens controversia: novumque sermonem instituens, peregrinam difficultatem agitavit: Num scilicet officiis solum, an etiam entitatibus distingueretur gratia præveniens, & cooperans. Quæ de re cum aliquantulum dixisset, Lemofio interloquente ac reponente; disputationi finem dixit Summus Pontifex, ferendumque judicium distulit in diem alteram.

Judicium de Propositionibus mox disputatis.

(2) Die 19. Novembris 1602. hora 16. de prima, & secunda Propositione judicium habuit.

(1) Cap. 15.

(2) Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Hæc Conclusio (de prima Propositione agitur) fuit expresse tradita a Cassiano Collat. 13. c. 12. ubi ait, mansisse in homine post lapsum scientiam boni, quam prius acceperat, & facultatem naturalem ad illud amplectendum; ita quidem, ut tam ad bonum, quam ad malum, pro ut voluerit, ex propriis suis viribus naturalibus potrigat manu suam. Quam sententiam tunc potissimum intellexerit.

tum est, an conveniat in illis Molina cum  
Cassiano? Post longam discussionem utriusque  
propositionis, censuerunt DD. Episcopi, con-  
sentire omnino cum Cassiani errore has duas  
propositiones; excepto D. Episcopo Aquilano,  
qui censuit non consentire cum Cassiano. Si-  
militer Patres Theologi, excepto Regente Car-  
melitarum, censuerunt convenire cum Cassiano  
in utraque propositione.

## CAPUT XVI.

Quid decimaquinta Congregatione disputatum? Quid  
decimasexta definitum?

Die 9. Decembris 1602. habita est Congrega-  
tio decimaquinta coram Clemente VIII. Pri-  
ma fronte disputatum est de tertio Scripti hujus  
articulo: *An Molina cum Cassiano conveniat in hac  
propositione, Quod possit homo ex sola facultate natu-  
ræ diligere Deum super omnia?* Exitit apud Molinam  
disp. 14. memb. 3. §. Duo quedam, & §. Secundum est.

Societatis Præpositi vices gessit Ferdinandus de  
Bastida, qui Petrum Arrubal, Molinæ cau-  
sam defendentem, comitem duxit. Is igitur pro  
officii sui parte Moliniam propositionem a Cas-  
siano sensu remotissimam defendit ex quadruplici  
capite: quod videlicet Cassianus non qualemcum-

quæ dilectionem Dei naturæ viribus adscripsisset,  
sed fini supernaturali accommodatam; ad justifi-  
cationem disponentem; Divinorum mandatorum  
observantiam secum ferentem; Deum demum fu-  
per omnia simpliciter amantem: secus vero Mo-  
lina.

Singula præterea dissonantiæ capita confutavit  
Thomas de Lemos; idemque proferus Cassiani, ac  
Molinæ systema demonstravit. Disputationem ni-  
hilominus suam instauravit Petrus Arrubal. At  
ubi eo pervenit, ut dilectionem validam a Cas-  
siano naturæ viribus adscriptam contenderet (pro-  
pter quod Semipelagianismi damnatus sit) a Molina  
autem dilectionem duntaxat invalidam; eam Theo-  
logiæ barbarie offensus est Pontifex: Pater, in-  
quit, tu non uteris bonis terminis, quia charitas  
nunquam est invalida. Imperfectam igitur charita-  
tem dixit; naturalem scilicet dilectionem, quæ  
Divinorum mandatorum observantiam comitem non  
habet: eamque solum a Molina nativis viribus  
assignatam voluit.

Obliquam interpretationem hoc argumento re-  
vicie Lemos: *Molina dicit, non posse hominem si-  
ne speciali Dei auxilio diu servare totam legem: Er-  
go secundum Molinam, non diu, id est, brevi tem-  
pore, poterit servare totam legem sine gratia, & di-  
ligere Deum super omnia, ex tota mente &c. quod  
est primum, & maximum mandatum.* Consecu-  
tionem dedignatus non est Molinæ Vindex;  
quam

quæ dilectionem Dei naturæ viribus adscripsisset,  
sed fini supernaturali accommodatam; ad justifi-  
cationem disponentem; Divinorum mandatorum  
observantiam secum ferentem; Deum demum fu-  
per omnia simpliciter amantem: secus vero Mo-  
lina.

Singula præterea dissonantiæ capita confutavit  
Thomas de Lemos; idemque proferus Cassiani, ac  
Molinæ systema demonstravit. Disputationem ni-  
hilominus suam instauravit Petrus Arrubal. At  
ubi eo pervenit, ut dilectionem validam a Cas-  
siano naturæ viribus adscriptam contenderet (pro-  
pter quod Semipelagianismi damnatus sit) a Molina  
autem dilectionem duntaxat invalidam; eam Theo-  
logiæ barbarie offensus est Pontifex: Pater, in-  
quit, tu non uteris bonis terminis, quia charitas  
nunquam est invalida. Imperfectam igitur charita-  
tem dixit; naturalem scilicet dilectionem, quæ  
Divinorum mandatorum observantiam comitem non  
habet: eamque solum a Molina nativis viribus  
assignatam voluit.

Obliquam interpretationem hoc argumento re-  
vicie Lemos: *Molina dicit, non posse hominem si-  
ne speciali Dei auxilio diu servare totam legem: Er-  
go secundum Molinam, non diu, id est, brevi tem-  
pore, poterit servare totam legem sine gratia, & di-  
ligere Deum super omnia, ex tota mente &c. quod  
est primum, & maximum mandatum.* Consecu-  
tionem dedignatus non est Molinæ Vindex;  
quam

quæ dilectionem Dei naturæ viribus adscripsisset,  
sed fini supernaturali accommodatam; ad justifi-  
cationem disponentem; Divinorum mandatorum  
observantiam secum ferentem; Deum demum fu-  
per omnia simpliciter amantem: secus vero Mo-  
lina.

Singula præterea dissonantiæ capita confutavit  
Thomas de Lemos; idemque proferus Cassiani, ac  
Molinæ systema demonstravit. Disputationem ni-  
hilominus suam instauravit Petrus Arrubal. At  
ubi eo pervenit, ut dilectionem validam a Cas-  
siano naturæ viribus adscriptam contenderet (pro-  
pter quod Semipelagianismi damnatus sit) a Molina  
autem dilectionem duntaxat invalidam; eam Theo-  
logiæ barbarie offensus est Pontifex: Pater, in-  
quit, tu non uteris bonis terminis, quia charitas  
nunquam est invalida. Imperfectam igitur charita-  
tem dixit; naturalem scilicet dilectionem, quæ  
Divinorum mandatorum observantiam comitem non  
habet: eamque solum a Molina nativis viribus  
assignatam voluit.

Obliquam interpretationem hoc argumento re-  
vicie Lemos: *Molina dicit, non posse hominem si-  
ne speciali Dei auxilio diu servare totam legem: Er-  
go secundum Molinam, non diu, id est, brevi tem-  
pore, poterit servare totam legem sine gratia, & di-  
ligere Deum super omnia, ex tota mente &c. quod  
est primum, & maximum mandatum.* Consecu-  
tionem dedignatus non est Molinæ Vindex;  
quam

quam tamen, ut subortam indignationem compri-  
meret, circumscriptione quadam emolliuit: *Ad-  
mittimus, inquit, quod in istanti temporis id possit,  
& inefficaci dilectione: quam ex Molinæ doctrina  
confirmavit.*

Actum deinde de quarta ejusdem Scripti Pro-  
positione; nimirum: *An Molina cum Cassiano con-  
veniat in hac assertionem: Quod Deus expectet nostros  
conatus, quodque aliquando Deus nos præveniat.* Ex-  
stat apud Molinam disp. 10. in fine 1. parag. &  
disp. 9. §. Quod hæc.

Tota hoc duplici capite stetit controversia: Num  
secundum Molinam conatus, Liberi Arbitrii viri-  
bus elicitos, expectet Deus, ut prævenientem  
gratiam largiatur? Numve duos vocatorum ordi-  
nes constituerit, quorum alii, faciendo, quod in  
se est, ex solo naturæ bono, gratiam consequen-  
tur; alii vero gratia prævenientur. Partem  
negantem proluxa oratione defendit Arrubal: af-  
firmantem Thomas de Lemos. Concessit nihilo-  
minus tandem Molinæ vindex, argumentorum vi  
superatus, vocari a Deo hominem propter proprios  
conatus, juxta ipsius doctrinæ principia; nec id  
tamen Semipelagianismi incusandum. *Quod vero  
dicit Pater, inquit, secundum Molinam, vocari homi-  
nem propter proprium conatum; hoc etiam dicit S.  
Prosper; & S. Augustinus ait, quod adjuvat Deus  
volentem.*

Excanduit ad hæc Thomas de Lemos, conver-  
sive sermone ad Summum Pontificem, ait: *Beat-  
issime Pater, considerandum, & judicandum relin-  
quo Sanctitati Vestre hoc, quod isti Patres dicunt,  
non esse condemnandum, quod dicit Molina, Homi-  
nem vocari a Deo propter proprium conatum. Nam,  
hoc posito, Deus expectat conatus nostros, anteceden-  
tes prævenientem gratiam: quod est contra Concilii  
Arascani Canonem quartum, & contra illud Can-  
onicorum: Aperi mihi, Sponsa mea.*

Arrubali suppetias tulit Ferdinandus de Balsa-  
da, subtimide tamen, ac molli brachio: *S. Tho-  
mas, inquit, in Apocalypsim cap. 3. explicat illud:  
Sto ad ostium, & pulso; eodem modo, quo Molina.  
Quem confestim subaperit, ac dure Lemofius  
exceptit. Legas attentè, repositus, S. Thomam, &  
videbis, secundum ejus sententiam, Deum expecta-  
re, quod ipse dat per gratiam: Molina autem vult,  
Deum expectare conatus humane voluntatis, ortos*

(1) *Ex Alti Secretarii. In Compendio sic: Hæc conclusio (id est tertius articulus) est non expresse tradita fue-  
rit in propriis terminis a Cassiano, sufficienter tamen deducta, & efficaciter impugnata est a S. Prospero, lib.  
contra Collat. c. 30. ex eo, quod Cassianus dixerat Collat. 13. c. 12. Manere in homine liberum semper arbitrium,  
quo gratiam Dei possit vel negligere, vel amare. Molinam vero expresse asseruisse, nihil proferus cogitare  
super omnia, constat ex disp. 14. memb. 3. ut probatum est supra, Propositione VI. adde certe, ut, quamvis di-  
xerit, hanc dilectionem esse inefficacem, eo quod non habeat conjunctionem observantiam mandatorum in futurum;  
absolute tamen, & quantum ad rem ipsam, illam neque inefficacem, neque imperfectam constituisse, quin potius  
omnem illi efficaciam, & perfectionem tribuerit: hoc solo excepto, quod postea in executione operis non impleatur.  
Certum est enim, efficaciam, & perfectionem actus in se non tolli ex eo, quod postea non impleatur. Unde  
de apparere, voluisse Molinam voluntatem humanam ita perfectè operari posse in statu naturæ corruptæ ex sua so-  
la naturali facultate, ac si læsa non fuisset peccato primorum Parentum.*

Et idcirco censuerunt omnes, exceptis D. Episcopo Aquilano, & P. Regente Collegii Carmelitarum, hæc  
Conclusionem: Homo ex solis viribus naturæ potest diligere Deum super omnia, esse Pelagianam, absolute prola-  
tam, siue illa intelligatur de dilectione Dei, ut auctor est honorum supernaturalium, siue ut auctor naturæ; siue  
de perfectæ, siue de imperfectæ, & inchoatæ dilectione Dei.

Deinde de quarto Articulo in hunc modum. Expressa est sententia Molinæ, Deum expectare, paratam semper ad  
promovendum, & adjuvandum hominum conatus, desiderareque ingressam cordis eorum, quamvis aliqui otio tor-  
pentes a Deo præveniantur. Ita quidem, ut germanus sensus sententiæ Molinæ, deductus ex pluribus locis Con-  
cordiæ ejus, sit: Interdum Deum auxiliis gratiæ suæ excitare eos, qui, voluptatibus dediti, nihil proferus cogitare  
de salute æternæ; regulariter tamen illos specialibus auxiliis pulsare, quos videt, ex facultate naturæ conari ad sa-  
lutem, desiderantem, petendo, & quodammodo se adaptando, & disponendo ad Gratiam Divinæ adjutorium acci-  
piendum. Atque adeo ex sententia Molinæ duo ordines constituantur eorum, qui ab infidelitate ad fidem, vel ab  
impietate ad pietatem vocantur a Deo; ita ut alii secundum communem modum veniendi ad fidem, vel ab  
bitrii, ex sola facultate naturæ, Gratiam Divinam præveniant; alii vero, quorum torpens liberum arbitrium propi-  
cipit, specialibus auxiliis præveniantur a Deo. Ita formaliter asseruisse Molinam, constat ex disp. 9. §. Quod hæc:  
ibi, *Etiam quamvis, & §. Pater tertio. Item ex disp. 10. ibi, Plane siue ulla intermissione, & ex disp. 14. memb.  
5. §. Post hæc; ibi, Quamvis vero facient, &c.*

Hanc autem sententiam eandem omnino esse cum illa Cassiani, quam Ecclesia damnavit, constat ex collatione  
utriusque ad invicem, verbis illis quæ Cassianus docuit Collat. 13. c. 12. 13. & 17. hoc solo excepto, quod  
Molina ita abstinuit a verbo expectat, ut usus fuerit expressus, quod majorem habet emphasis. Quæ cum  
auctoritate expresse definitio Concilii Arascani II. Can. 4. 5. & 8. & Catholice, atque Orthodoxæ doctri-  
næ Concilii Tridentini, Sess. 6. c. 5. constanter resolvit Congregatio, Molinam hæc in re cum Cassiano, & Se-  
mipelagianis a doctrina Ecclesiæ desecit.

ex bono naturæ, sine gratia. Atque ita congressus  
finitus est.

Judicium de Propositionibus, superiori Congregatione  
disputatis.

(1) Die 10. Decembris 1602. hora 16. cen-  
suerunt DD. Episcopi omnes, excepto D. Aquilano,  
convenire Molinam cum Cassiano in ter-  
tia, & quarta Propositione, scilicet de dilectio-  
ne Dei super omnia, & de duplici ordine vocan-  
torum. Similiter censuerunt Patres Theologi,  
excepto Procuratore S. Augustini, qui dixit,  
quod attinet ad actus morales, consentire Mo-  
linam cum Cassiano, & Pelagio, & quantum  
ad sanitatem naturæ, quam putavit, pariter  
constituisse Molinam cum Pelagianis. Quod ve-  
ro spectat ad supernaturalia, putavit, Molinam  
in modo loquendi convenire cum Cassiano, non  
tamen in re, & sensu: & ideo esse suspectum  
etiam quoad hoc erroris. Pater Regens Car-  
melitarum simpliciter dixit, non convenire cum  
Cassiano. Et absoluta fuit Actio prope horam  
vigestimam.

## CAPUT XVII.

Quid decima-septima Congregatione disputatum?  
Quid decima-octava definitum?

Die 16. Decembris 1602. coram Clemente  
VIII. habita est Congregatio decima-septi-  
ma. Disputatum in primis fuit de quinto Arti-  
culo: Num videlicet cum Cassiano Molina con-  
sentiat in ea propositione: *Deus quodammodo occa-  
siones querit, & expectat, ut datio, & largitio sine  
gratia rationabilis videatur.* Ex triplici Molinæ  
loco præsertim deducitur. Disp. 10. §. 1. disp.  
9. §. Pater tertio & §. Quamvis hæc.

Tria illa Concordiæ loca, unde Prædicatores  
Molinæ cum Cassiano consonantiam suam in scrip-  
tis ostenderant, benignis interpretationibus emol-  
livit Petrus Arrubal, quibus eum ab errore vindic-  
dicare contendit. Illas toridem e vestigio confu-  
tavit Lemos: quod ut debita methodo facilius ex-  
sequeretur, Cassiani errorem ad tria capita revo-  
cavit: 1. Quod Deus vel exigit, vel expectat  
quod-

